ΑΣΚΗΣΙΣ ΦΥΣΙΟΛΟΓΙΚΗ.

DE MOTU GENERICE CONSIDERATO.

Quam

Auſpicijs SS. Trinitatis.

SUB PRÆSIDIO.

Viri Clariſſimi átq; experientiſſimi

DN. NICOLAI AGERII, PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS CELEBERRIMI, SCIENTIÆ NATURALIS IN ALMA Argentoratenſi Profeſſoris acutiſſimi, Præceptoris ac fautoris ſui debito obſervantiæ & honoris cultu ætatèm proſequendi, colendi.

In publico candidè philoſophantium congreſſu ventilandam exponit, & pro re natâ partes defenſorias ſuſcipit, In ἀκροατηρίῳ Veteri ad diem Iunij.

JOHANNES PHILIPPUS PFITZERUS,
Saræponto-Naſſovius.

Plutarch.

Ut ferrum & æs uſu ſplendeſcit; ita animi Vigor exercitatione eniteſcit.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS CAROLI.
M. DC. XXVIII.

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,

AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, REverendâ Dignitate, Eximiâ gravitate, prudentiæ item Virtutis & experientiæ laude commendatiſſimis & ſpectatiſſimis Viris,

DN. JOANNI RUDOLPHO SALTZMANNO, Medicinæ Doctori experientiſſimo ejuſdémq; facultatis in florentiſſima Argentinenſiū Vniverſitate Profeſſori celeberrimo, nec nō Reip. phyſico ordinario.

DN. BARTHOLOMÆO WERNERO, cognom. Volz I.V.D. Conſultiſſimo, Illuſtriſs. ac Generoſs. Comitt. in Naſſaw Sarbrücken Conſiliario intimo, eminentiſſimo.

DN. GEORGIO Keller / Eccleſiæ patriæ Antiſtiti meritiſſimo, reliquarúmq; in Illuſtri Naſſa-Saræpontano Comitatu Superattendenti generali vigilantiſſimo.

DN. PHILIPPO WEBERO, Philoſophiæ & Medicinæ Doctori eximio, prænominatorúmq; Comitt. Archiatro digniſſimo, feliciſſimo.

DN. ALBRECHTO WESNERO, Civi apud Argentoratenſes primario Pharmacopolæ laudatiſſimo.

DN. GEORGIO Reütter / Reip. patriæ Senatori integerrimo.

DN. JOANNI GEORGIO Pfeiffer / V.I. Licentiato clariſſimo.

DN. ENGELBERTO BALDUINO, Archigrammatæo Solertiſſimo:

(cognatis ſuis dilectiſſimis, ſuaviſſimis, exoptatiſſimis.)

Dnn. Præceptoribus, Mecœnatibus, Promotoribus, Fautoribus & cognatis ſuis, omnibus & ſingulis, ἀϊδίῳ honoris & amoris cultu proſequendis, ſumméq; ſuſpiciendis.

Hoc quale quale Tyrocinium Phyſicum

In gratæ mentis τεκμήριον

Debitæ obſervantiæ ἀπόδειγμα

Studiorúmq; ſuorum commendationem

DDD.

JOHANNES PHILIPPUS PFITZER,
Auth. & Reſpond.

Σὺν τῷ Θεῷ.

DISPUTATIONIS PHYSICÆ
DE
MOTU GENERICE CONSIDERATO.

THESIS I.

DEliberantem me diu, & ancipiti curâ hærentem, de quanam poſſimùm materia ex ærario phyſico, *in quo humanæ diligentiæ vectigalia illata ſunt, unde ſuum quiſq; in uſum ſumit*, teſte admirando *Iul. Cæſ. Scalig.* (ut ipſum proclamat *Perer. l. 8 .c. 25.*) *l. 1. de Plant. p 48.* depromta, nunc diſputare oportunum eſſet, ipſum tempus hoc vernum commodè admonuit; quo ipſa ſe terra, omnium quæ mater eſt aperit, & quæ ſinui ejus concredita, hybernóq; tempore quaſi ſepulta fuêre, prodit, atq; ita *moveri* incipit, progenerando ſcilicet in pratis gramina, in hortis herbas, in ſylvis arbores, in arboribus ramos, in ramis folia, cum folijs flores.

2. Haud quaquam igitur περιεργίαν ἀχρήστου πράγματος eſſe animum induxi, ſi hanc de *Motu* materiam maximis difficultatibus involutam & ſatis perplexam, ipſo fatente *Philoſopho noſtro Magno 3. phyſ. 4. 15.* cujus conſideratio præcipui in Philoſophia momenti *Colleg. Conimbr. in proœm. l. 3. phyſ. & Caſ. in phyſ. Ariſt. l. 5 c. 1.* quæq; inter *internas* corporis naturalis *affectiones* principem obtinet locum *Ariſt. ibid. Zab. de nat. ſcient. c 8* in præſentiarum, prout ingenij fert tenuitas, ſub diſputationis incudem revocarem, publicoq; τῶν ὀρθῶς φιλοσοφούντων examini & cenſuræ, tanquam pomum ἔριδος, in medium proijcerem; maximè cùm etiam ſuperiori partim anno, partim nuperrimis exercitationibus & collationibus doctè & eruditè admodum inſtitutis, hæc materia, ſi quidem rectè meminero, adhuc intacta manſerit.

3. Quod dum facio, boniſq;, quod ajunt, contingat avibus, TE DEUM TER. OPT. MAX. πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον, qui, ut de ſuo hoc mihi largiatur *Poëta lib. 3. conſolat. carm. 9.*

Tempus ab ævo
Ire jubes, ſtabilisq; manens das cuncta moveri.

auſpicem propitium, ducem & directorem præſentem, clementem tacitis & ardentibus ſuſpiriis invoco: ut in hac diſputationis velificatione mihi ſancto & ſecundo adſis flamine, qui multiplici ſuâ gratiâ juvet me rudem tyronem; ne in hoc primo gymnaſmate turpiter ſuccumbam, ſed ad optatũ deducar portum. Quandoquidẽ ut diſtichon illud habet,

Nullius eſt felix conatus & utilis unquam,
Conſilium ſi non dét q; juvét q; Deus.

Imò *noſtra hæc in literarum ſtudijs peregrinatio ſine ſuprema luce miſerabilis quædam eſt erratio,* uti ſcitè, ut ſolet, acutiſſimus, *Scal. loquitur exerc. 359. ſ. 1.*

4. Cum hac igitur luce, Deo inquam, ad ipſam progrediamur ἐργασίαν, quæ ut bono certóq; ſuſcipiatur ordine ac methodo, quâ juxta *Scal.* literariæ rei Principem *exerc. 10. nihil vel in animo vel in opere ſapientis admirabilius eſt.* Cum *intelligentiam adjuvet, & memoriæ maximũ lumen afferat. Fuchs. inſtit. medic. l. 1. ſ. 1 c. 6. ſecundum 4.* Apodicticarum quæſtionum genera, quippe quarum teſte Philoſophorũ coriphæo *Ariſt. l. 2. poſt. anal. c. 1. t. 1.. diſtinctio & explicatio firmam ac infallibilem rei ſcientiam maximè parit* pertractabimus; ne à veritate, *quam inveſtigare difficilimum, cùm intellectus noſter* πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων *ſe habeat* ὥσπερ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος τὸ μεθ᾽ ἡμέραν *Ariſt.* β. μετ *c. 1.* deviemus, & à janua Philoſophiæ naturalis aberremus.

5. Sub hujus autẽ συντήσεως frontiſpicio offert ſe nobis optimus Methodi artifex *Ariſt. l. 2. poſter. anal. c. 9. t. 9.* in hæc erumpens verba, Ἀδύνατον εἰδέναι τί ἐστιν ἀγνοοῦντας εἰ ἔστιν, *impoſſibile eſt ſcire quid res ſit, antequam eam eſſe aut in rerum natura dari cognitum fuerit.* Hunc igitur ὁδηγὸν ſequentes ad quæſtionem εἰ ἔστιν. *An ſit* prius, quàm ad alteram τί ἐστιν acceſſum faciamus.

6. *Neſcio quomodo nihil tam abſurdè dici poſſit, quod non dicatur ab aliquo Philoſophorum,* inquit acutiſſimus ſtoicorum, *Cic. l. 2. de divinat.* id quod haud iniquè dictum eſſe præſens etiam quæſtio oſtendit. Etenim non defuêre, qui uſq; adeò hallucinati ſunt, ut è tota natura *motum* ſuſtulerint, omniaq; *immobilia* eſſe aſſeverârint, quales fuêre *Parmenides, Meliſſus Zeno Eleates*; digni profectò, qui ipſi è Philoſophorum cenſu & ſenſu eximantur; ut qui totius diſciplinæ phyſicæ jura pervertant, contrà omnem ſenſualem cognitionem & experientiam; quarum flagello qui vapulat immane quantum vapulat.

An non

7. An non enim quotidiè in hac rerum univerſitate, omnes res ſublunares ſic ſe habere, ut poſſint eſſe & non eſſe, fieri & non fieri, nec ſuperficietenus tantum & ſecundùm aliqua accidentia, quaſi mutatio talis *nuda ſolùm* eſſet *ἀλλοίωσις & levicula accidentium variatio,* ſed *intimè* ſecundum ſubſtantiam, ipſamq; rerum naturam & eſſentiam *mutari* animadvertimus & conſpicimus omnes, quibus ſana eſt mens, ſanaq; oculorum acies?

8. *Diogenem* ergo *Cynicum* hac in parte contra illos imitabimur, qui Præceptoris ſui placita ψευδώνυμα & ἀμφίδοξα, dixerim penè παράδοξα ipsâ refutabat ἐμπειρίᾳ. Is enim auditis aliquando rationibus *Zenonis* quibus *motum* non eſſe, nihilq́; in rerum natura *moveri* acerrimè tueri & probare conatus eſt, eas reſponſione dignas non judicavit: ſed ſolùm ſurrexit, & inambulare cœpit: Quærenti autem Zenoni quid rerum ageret? *Tuas*, inquit, *diluo rationes*, innuens in rebus, quæ ſenſibus percipiuntur, ſenſibus eſſe credendum.

9. Sic nos illos, ſi qui ſunt, qui adhuc *motum* negant, & ſeriò dubitant, ad ſemetipſos omniaq; creata ſublunaria dimittimus, illic erit, quod ſit illis tanquam ſudes in oculis.

10. Accedit huc autoritas *Ariſtotelis*, quæ nobis eſt inſtar omnium, ſectæ Peripateticorum, exinde quòd in ſcholis ſuis quæ *Lycéa* dicebantur, obambulando diſputaverint, ſic dictorum, auctoris, hominis doctiſſimi, in rebus inveniendis ſolertiſſimi, in judicandis acerrimi, loquente *Cicer. in Orat.* qui teſte *Ammonio*, ἐν φιλοσοφίᾳ ὑπερβέβληκε τὰ ἀνθρώπινα μέτρα; eaq; propter dignus eſt, qui ſententiæ cujúsq; fundus fiat, quando *3. phyſ. c.3. t. 22.* ſcribit, τὸ μὲν οὖν πάντα ἠρεμεῖν καὶ τούτου ζητεῖν λόγον, ἀφέντας τὴν αἴσθησιν ἀῤῥωστία ἐστι διανοίας, *omnia in quiete eſſe exiſtimare, & ſenſu poſt habito ejus rationem quærere, eſt intellectus infirmitas & hebetudo.*

11. Quæcúnq; enim *ſenſibus* eſſe deprehenduntur, ea *rationibus* non eſſe non eſt probandum: quod manifeſtum evadit ex præceptis Dialecticis *lib. 1. Top. c. 9.* ubi *Ariſtot.* docet, *à diſputatione reïjci ea, quæ ſenſibus deprehendi poſſunt*; at *motum* eſſe *ſenſibus* deprehenditur: cùm *ſenſile ſit commune l.2. de anima c.6. t.64. & in lib. de ſens. & ſenſil. c.1. & alibi.* Ergò, *motum* non eſſe *rationibus* non eſt probandum & demonſtrandum.

12. Unde idem *Ariſt. 8. phyſ. ſignum eſſe corrupti intellectus, ſi quis deſerat ſensûs, tanquam primum cognoſcendi principium, & inveſtiget rationes:* imò *cœco ſimilem eſſe ait, qui in rebus ſenſui ſubjectis argutias quærit. 2. phyſ. t 6.* cùm quo pulchrè illud *Anaxagoræ* conſentit, ajentis, οἱ μαχόμενοι περὶ τῶν

φανερῶν, ἐ λόγων δέονται, ἀλλὰ πληγῶν, hoc eſt, *qui contendunt & diſputant de rebus manifeſtis, non verbis ſed verberibus opus habent*; cui, ne in ventilando hoc quæſito nos obnoxios reddamus, diutiùs hîc immorari ſuperſedebimus; cùm & *contra negantem principia diſputandum non ſit Ariſt. l. 5. phyſ. c. 2. t. 8.*

13. Hoc jam ſtante ἐνλῷ παρόντι, antequam ad quæſtionem τί ἐστι pedem moveamus, enodanda non immeritò venit quæſtio *utrum hæc doctrina ſit conſiderationis phyſicæ?* Adjicimus autem calculum noſtrum ijs, quibus quæſtionis hujus κατάφασις arridet: cùm vero longè ſit ſimilior. Ne verò ſolùm amplectamur, ſed & tueamur, monitore. *Ariſt l. 8. phyſ. 9. 2 t. 5.* δεῖ τὸν λέγοντα μὴ καταφάναι μόνον, ἀλλὰ καὶ αἰτίαν αὐτῦ λέγειν, καὶ μὴ τίθεσθαι μηδὲν, μηδ' ἀξιῦν ἀξίωμα ἄλογον, ἀλλ' ἢ ἐπαγωγὴν ἢ ἀπόδειξιν φέρειν, hoc modo demonſtramus & concludimus.

14. Sine quo natura cognoſci nequit, de eo phyſico eſt agendum: ejus enim cognitio in natura, verſatur: ſed ſine cognitione *motus* natura cognoſci nequit *Ariſtot. l. 3 c. 1. 1.* ἀναγκαῖον γὰρ ἀγνοουμένης κινήσεως ἀγνοεῖσθαι τὴν φύσιν *ignorato motu naturam ignorari neceſſe eſt* Nam 1. inſervit ad *intelligendam naturæ definitionem*, quæ per *motum* definitur *Ariſt. 2. phyſ. c. 1. t. 3. 2. Motus proprium quippiam eſt naturæ omni, ſoli & ſemper conveniens Ariſt. 3. phyſ. t. 1. Per. l. 13. c. 1.* omnium ſiquidem corporum naturalium, quæ ex materia & forma conſtāt, perpetuum atq; inſeparabile accidens, & individuus comes exiſtit; quia *omne, quod fit aut interit, motu aliquo cietur Mag phyſiol. l. 1. c. 4. t. 4. 3. Denotat & determinat ſubjectum* φυσιολογίας ſcientificum: quod eatenus à phyſico conſideratur, *quatenus eſt mobile*, τοιῦτον ὂν, ὅ ἐστι δυνατὸν κινεῖσθαι *quatenus movetur vel moveri poteſt. Ariſt. 6. Met. c. 3. t. 1. l. 1. de cœlo c. 2. t. 5. Zabar. l. de nat. ſcient. conſtitut. c. 2. & colleg. conimb. in proœm. in libr. phyſ. Ariſt. quæſt. 4. art. 1.*

15. Adhæc 4. definitur Phyſica *l. 1. de cœlo c. 1.* quod ſit ἐπιστήμη περὶ τὰ σώματα καὶ μεγέθη, καὶ τὰ τέτων πάθη, καὶ τὰς κινήσεις, ἔτι καὶ περὶ τὰς ἀρχὰς, ὅσαι τῆς τοιαύτης εἰσὶν, *ſcientia quæ in corporibus ac magnitudinibus, eorúmq; & affectionibus & motibus, & præterea in principijs, quæ talis eſſentiæ ſunt, verſatur*: quæ definitio ſumpta eſt ab enarratione & diſtributione earum rerum, quæ in phyſicis traduntur, ubi expreſſa etiam ſit *motûs* mentio.

16. Quemadmodum enim ignorato patre ignoratur filius (*relatorum* enim ea natura eſt, ut alterum in alterius definitione ſumendum ſit, néq; intelligi poſſit ſine *relatione* alterius ad alterum *Zab. l. 1. de propoſ.*

neceſſ.

neceſ. c. 20.) ita ignorato *motu*, naturam ipſam ignorari neceſſe erit; cùm ea ſemper includat reſpectum ad motum, uti ex dictis εὔγνωστον.

17. Quæ cùm ita ſint, ut verè ſunt, quis tam iniquus rerum æſtimator fuerit, qui *motum* eſſe, de eodémq; rectiſſimè ἐν ἱστορίᾳ τῆς φύσεως tractari neget: cùm ex ijs, quæ dicta ſunt, paucis, non *rationes* modo, quibus agendum *eſt viro veritatis ſtudioſo Scal.* verùm & *authoritates* ſuppetant accuratiores: quippe ſaniores & præſtantiſſimi quique philoſophorum, qui hanc de rebus phyſicis doctrinam pro dignitate attigerunt, de *motu* diſſeruerunt, tanquam de re ad phyſicam non parum attinente: unde factum, quod phyſici vehementer in hac doctrina deſudârint, & recentes quidam, præſertim Itali, magna de *Motu* volumina conſcripſerint.

18. Relictis itáq; ambagibus, citráq; ulteriorem demonſtrationem rectâ viâ procedimus ad quæſtionem ſequentem τί ἐστι finitâ quæſtione εἰ ἔστι, ut inculcat *philoſophus l. 2. poſt. anal. c. 8. & 9. t. 8* γνῶντες ὅτι ἔστι, τί ἐστι ζητοῦμεν, *poſtquam rem eſſe cognovimus, proximum erit, ut ejus quidditatem inveſtigemus*, quæ non niſi ex definitione eluceſcit *Ariſt. η Met. c. 5. t. 16.*

19. Ad hanc autem probè & ſolidè intelligendam, multum facit diſtinctio. Ut enim *confuſio* eruditis mater cluet obſcuritatis & ignorantiæ, ita *diſtinctio* perſpicuitatis & cognitionis. Unde *Ariſt.* πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα oportet prius vocis uſum cognoſcere: quo ſæpenumerò provehimur in rei perceptionem *Scal. in veſtib. Subtil. & exerc. 35. ſ. 9. & 102. 1.* ſicut & *Plato* oſtendit *in cratylo* & vere *Galenus* vir nedum in Medicina, verùm etiam in alijs diſciplinis excellentiſſimus *lib. 1.* θεραπευτικῆς μεθόδου *c. 2. ſine nominis explicatione velle rem cognoſcere, certè nihil aliud eſt, quàm tempus perdere.*

20. Quod ne idem nobis contingat & eveniat, primò vocis *ambiguitatem* & ὁμωνυμίαν, *quá nihil eſſe quit abſurdius in oratione philoſophi Scal. exerc. 300. ſ. 1.* diſtinguamus certámq; ejus ſignificationem conſtituamus, antequam definiatur hortante *Ariſt. l. 6. Top. c. 6. t. 50.*

21. Sumitur ergo vocabulum Motus 1. communiſſimè pro *quavis mutatione*, ut accipitur *lib. categ. c. 13. & l. 3. phyſ. c. 3. t. 4.* ubi ſex *motus* ſpecies enumerantur, *Generatio, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, Alteratio & ſecundũ locum mutatio* 2. cõmuniter & magis propriè, pro *ea mutatione tantum, quæ fit de ſubjecto in ſubjectum*: quo ſenſu accipit *Ariſt* quando inquit, *neceſſe eſt mutationem ex ſubjecto inſubjectum ſolam motum eſſe l. κ. Met. c. 10. & l. 5. phyſ. c. 1. & 2.* in quibus locis 4. duntaxat *motus* ſpecies recenſet, diſtinguendo mutationẽ à motu. 3. Strictiſſimè pro *eo motu qui fit de loco in locum*,

locum, & dicitur localis, ut ſumit philoſophus, quando cœlum moveri dicit *lib.1. de cœlo c.3. 18. & l.2.c. 2 t.13. & c.5.t.34.*

22. Ex his motus ſignficationibus *primam* potiſſimùm, quâ motus à mutatione non contradiſtinguitur, ſed pro omnis generis mutatione ſumitur, retinemus: ita ut phraſi phyſicâ *moveri* nihil ſit aliud quàm *mutari*, quâ mutatione diverſitas aliqua in corpore naturali oritur *Mag.in phyſiol. l.1.c.4.*

23. Enucleatâ nunc nominis diſtinctione, audentiores imus definitionem fabricatum, *quæ unicum rem aliquam perfectè cognoſcendi medium Ariſt. β Met. c.3. omnis diſputationis principium 8. Top.3.* ideò quod *τοῦ γνωρίσαι χάριν rei cognoſcendæ gratia. eſt lib.6. Topic.c.2.t.11. &* declarat *quid res ſit l.2. poſt. anal. c.10.* à *Damaſceno* ſingula diſtinguere ab invicem: hincq; nomen ὁρισμοῦ apud Græcos accepiſſe cenſetur *c.8. Dialect.* λέγεται ὁρισμὸς ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν τῆς γῆς ὀρεθεσίων, ὥσπερ γὰρ τὸ ὀρεθέσιον χωρίζει τὸ ἴδιον ἑκάστου ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου: οὕτω καὶ ὁ ὁρισμὸς τὴν φύσιν ἑκάστου χωρίζει ἀπὸ τοῦ ἑτέρου φύσεως. Hæc ille.

24. Nos prætermiſſis omnibus alijs, quæ variæ à varijs afferuntur autoribus, definitionibus, *Ariſtotelicam Motus definitionem*, admodùm celebrem in ſcholis, annotante *Keck. diaſt. phyſ. l.1. c.9. & Simplic. admiranda quadam ratione ejus naturam explicantem*, expendemus, & primum quidem *generaliorem, quæ.3.phyſ.c.1.t.6.* legitur, ἡ κίνησίς ἐστιν ἐντελέχεια τοῦ δυνάμει ὄντος ᾗ τοιοῦτον. *Motus eſt actus ejus, quod poteſtate eſt, quatenus tale eſt*, deinde V. *ſpecialiorem ex c.2. t.16.* κίνησίς ἐστιν ἐντελέχεια τοῦ κινητοῦ ὡς κινητὸν *motus eſt actus mobilis quatenus mobile.*

25. Hæc Ariſtotelica definitio, cùm *verbis non admodum perſpicuis* conſtet quod quidem bonæ definitionis requiſitum eſt *Ariſt.l.6.Top.c.3. t.13. & l.2. poſt. anal. c.15. t.22.* ob quam cauſam in nonnullorum reprehenſionem incurrit, enitendum eſt ut eam facilem & planam reddamus: quod nos aſſecuturos ſperamus, ſi ſingulas ejus particulas paulò accuratiori ſubtilioriq; mentis indagine perpendamus, & ad veritatis ſtateram, veluti ad Lydium quod ajunt, lapidem, examinemus.

26. In prima autem fronte ponitur loco *generis* vox ἐντελεχείας: in cujus vocis genuina ſignificatione inveſtiganda plurimi diu noctúq; laborârunt, adeò ut de *Hermolao Barbaro* viro inter doctos doctiſſimo referant, eum cum aliquando noctu Dæmonis colloquium nactus eſſet, nihil aliud ab eo petijſſe, niſi ut ſibi notiori & communiori vocabulo explicaret & aperiret, quid *eſſet* Ariſtotelica ἐντελέχεια *Monlor*. quæſt. de ἐντελ.

circa

circa finem *p. 412.* Sed cùm diabolus ipſi æquè obſcurum vocabulum ſuggereret, ex propria tandem opinione ipſe vertit *perfecti habiam*, id eſt, perfecti adeptionem. Sed non adeò benè, quia *motum* cum termino *motus* confundit; aliud enim eſt *moveri*, aliud *terminum & perfectionem motus aſſequi Keck. Syſtem. phyſ. l. 1. c. 9.*

27. *Cicero* ille Romanæ eloquentiæ parens *in Tuſcul. quæſt.* latinè expoſuit *continuatam quandam motionem & perennem*, deceptus literarum mutatione, legens ἐνδελέχειαν cum litera δ, non autem ἐντελέχειαν cum litera τ: átq; ita opinatus eſt, ἐντελέχειαν dici ἀπὸ τοῦ ἐνδελεχοῦς, quod eſt παρὰ τὸ ἐν καὶ δεῖν καὶ ἐλᾶν τὸ ἐχόμενον, quod perenne ſeu continuatum ſignificat. ut patet ex græco proverbio, ῥανὶς ἐνδελεχοῦσα κοιλαίνει πέτραν, hoc eſt, *Gutta cavat lapidem frequenter cadendo ex Ariſt. 2. de gener. & corrupt. c. 10.* & alijs græcis autoribus.

28. Verùm hæc *Tullij* interpretatio multis viris doctis diſplicuit. Nam præterquam quod nullus Græcorum interpretum eam nominis ἐντελεχείας etymologiam propoſuit, *Colleg. Conimb. l. 3. c. 2. quæſt. 2. art. 3.* ſi ἐντελέχεια eſſet *continuata motio*, perperam *Ariſt.* definiiſſet *motum* per ἐντελέχειαν: hac enim ratione definitio nónne foret tautologica, quâ idem per idem definiretur?

29. Rectius ergo illi, qui ἐντελέχειαν *Perfectionē* ſignificare cōtendunt παρὰ τοῦ ἐντελοῦς quod Græcis idem valet ac latinis perfectū qauſi ἐν τῷ τέλει in fine, qui cujusvis perfectio eſt, exiſtens: vel ſi vocem voci reddas, eſt παρὰ τὸ ἐν καὶ τέλος καὶ ἔχειν, *quod perfectionis habitionem*, ſi ſic loqui liceret, ſeu *poſſeſſionem* denotat *Sennert. epit. nat. ſcient. l. 1. c 8. &* ἐντελέχεια ſemper τῇ δυνάμει apud *Ariſt.* opponitur, ut videre eſt *3. phyſ. c. 1. t. 2. 9 Met. t. 2. 2. de anima. c. 1. t. 2.*

30. Cæterùm etſi hæc ſit hujus nomnis, (quod *ignavæ quidem plebi novum, non tamen ignotum fuit ſapientibus Scal. exerc. 307.*) proprietas & vis: quia tamen non univocum, ſed æquivocum & ut annotârunt interpretes, exponentes textum *4. l. 3. phyſ.* ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων eſt, ab illa ſua æquivocatione liberabimus: per ejuſmodi namq; ambiguitates facilè in errores abripimur *Scal. exerc. 148.* juxta illud decantatum in ſcholis axioma philoſophicum, *Erroris genitrix eſt æquivocatio ſemper.*

31. Triplex autem eſt ejus ſignificatio, 1. uſurpatur pro *perfecta & abſoluta* ἐντελεχείᾳ, ut caliditas introducta jam in aqua: quâ præſente ſtatim ceſſat aqua calefieri, cùm completum jam caloris actum habeat & poſſideat. Hanc Latini in Scholis *actum primum* vocant, quia eſt prin-

B cipium

cipium & cauſa ſecundi : & hoc modo quælibet forma eſſentialis rei compoſitæ perfectæ, ut pote per quam res eſt & ſubſiſtit, aptè ἐντελέχεια dicitur. *Mag. l. 1. phyſ. c. 4.* Sic anima dicitur ἐντελέχεια, quoniam eſt forma corporis viventis, ex qua revera dicitur tale corpus habere ſuam naturam, & inſitam vim & facultatem ad actiones vitæ obeundas. Hinc *Scal.* idem ſunt μορφὴ, εἶδος, λόγος, τὸ τὶ ἦν εἶναι, καὶ ἐντελέχεια *exerc. 307. ſ. 39. Vnde ſi ſciant quid ſit* μορφὴ, *quid* εἶδος, *quid* λόγος, *quid* τὸ τὶ ἦν εἶναι, *non ignorabunt, quid ſit* ἐντελέχεια idem *ead. ſ. 12.*

33. 2. Capitur pro ἐνεργείᾳ *operatione conſequente* ἐντελέχειαν perfectam ſive formam, à qua procedunt operationes, vocatúrq, *actus ſecundus*, quia à primo dependet. Sic calefactio, quæ ab aqua calida ad alias res extenditur: ut cum homines, vel manus, vel pedes, vel carnes ab ea viciſſim calefiunt, eſt ipſius ἐντελέχεια & actus.

34. 3. Sumitur pro ἐντελεχείᾳ *quadam imperfecta & inchoata*, quæ adhuc in fieri & in potentia ad formam conſequendam exiſtit, ut calefactio, quæ fit adhuc & procreatur, nec dum abſoluta eſt in aqua, eſt inchoata ἐντελέχεια, habet enim aqua incaleſcens aliquem actum caloris, ſed imperfectum, qui adhuc in via & progreſſione eſt ad ipſam formam ſeu perfectionem abſolutam, in qua ſignificatione etiam hîc in definitione adhibetur.

35. Eſt autem *motus* omninò *actus* quidam, qui rem & ſubjectum cui ineſt, in actum è poteſtate educit, actúque, eſſe facit, *Ariſt. l. 3. phyſ. c. 2. t. 7.* quod varijs exemplis confirmari poteſt, ut primò ædificabile, ſive id quod ædificari poteſt, qua ex parte tale, eſt *actu* ædificabile cùm ædificatur ſive per ædificationem: at ædificatio eſt *motus*, qui actus eſt ejus quod *ædificari poteſt*, ſic ſanabile eſt *actu* ſanabile, ſi curatur ſive per curationem, quæ eſt *motus*. Eadem ſimiliter ratio eſt in ſaltatione, adoleſcentia ſeu incremento, ſenectute ſeu decremento, & id genus alijs: unde palam fit, per motum id quod *poteſtate* erat, eſſe *actu*, & proinde *motum* revera eſſe *actum*.

36. Aliàs ſi nihil de *actu* haberet, nullus quóq; *motus* ei ineſſet, & planè quieſceret, docente philoſopho & Medico clariſſ. *Seidel. philos. natur. l. 1. c. 8. v. g.* aqua prorſus frigida, nihilq; caliditatis habens, nullo motu calefactionis movetur. Cui ſuffragatur *Pererius l. 3. c. 2.* dicens *neceſſe eſt, cùm movetur res, habere aliquid formæ, quæ eſt actus: nihil enim aliud eſt motus, ut v. g. calefactio, quàm calor, qui producitur ab igne, & continuè per ducitur ad ampliorem perfectionem.* Et tantum de *Voce* ἐντελεχείας ſeu Actus, quæ *generis* vicem ſuſtinet, dicere alienum non fuit.

37. Nunc de *differentia* nobis eſt agendum, quæ ut *Ariſt. l. κ. Met. habet, ſpecie differe facit*, quæ conſiſtit in verbis ſubſequentibus, *τῇ δυνάμει ὄντος ᾗ τοιοῦτον*,

38. In quibus primò nobis occurrit vox *ὄντος entis*, quæ atteſtantibus Metaphyſicis, bifariam ſumitur, vel *nominaliter*, ut loquuntur, ut eſt nomen tranſcendens, cujus ratio formalis conſiſtit ἐν τῷ habere eſſentiam ſine exiſtentia, hoc eſt, eſſentiam ab actuali exiſtentia ſeparatam: ita jam in æſtate nive non exiſtente verè dicimus, Nix eſt ens: & ſic non ponitur hîc, quia *Ariſt. 6. Topic.* vetat hujuſmodi tranſcendentia ponere in definitionibus: vel ſumitur *participialiter*, ut eſt participium verbi ſubſtantivi *Sum*, cujus ratio formalis eſt habere eſſentiam cum exiſtentia conjunctam, hoc eſt, realitatem quandam actualem à potentiali diſtinctam; in qua ſignificatione hîc accipitur, ut ſit ſenſus, *motus eſt actus entis in potentia, id eſt, ejus, quod exiſtit in potentia.*

39. Atq; ita per τὸ ὄν denotatur *Subjectum proprium motus*, quod in ſecunda definitione apertius inſinuare voluit *Ariſt.* cùm dixit *3. phyſ. t. 16. Motum* eſſe *actum mobilis, in quantum mobile, ὡς κινητὸν*; quod non eſt niſi ipſum corpus naturale: *in prima autem & primaria definitione* illud ponere noluit: quia nondum certum erat ac probârat, omne corpus eſſe mobile, ſed hoc demum *6. phyſ.* demonſtraverat *Perer. l. 13. c. 4.*

40. Additur præterea *τοῦ δυνάμει ὄντος exiſtentis in potentia*, hoc eſt, quod nondum eſt illud, quod fieri poteſt & debet: vim tamen in ſe habet, ut perfici queat, & per *motum* cœpit jam tendere ad ἐντελέχειαν perfectam.

41. Sed obijcere quis hîc nobis poſſet, dicendo, ſi *motus* eſt *actus*, ut *θ. 35.* oſtenſum fuit, quomodo id, quod movetur, dicitur eſſe in *potentia*? Huic nos reſpondemus ὁμωνυμίαν quandam in vocabulo *actus* latere, quâ remotâ patebit objectiunculæ deciſio. Notum eſt, *actum eſſe duplicem*, unum *perfectum*, qui aufert omnem potentiam, ejúsq; nihil relinquit: eſtq; hic actus forma perfecta, alterum *imperfectum*, per quem res fit, qui ſemper habet adjunctum aliquid potentiæ, nec poteſt omninò ſeparari à potentia: quæ cùm penitus tollitur, & actus tollitur: & talis eſt *motus, Averr. 9 metaph. comm. 11. Themiſt. 3. phyſ. ſuper t. 6.*

42. Non v. *actum perfectum* eſſe dicimus: hic enim ſi eſſet, tùm nullus fieri in re, vel eſſe *motus* poſſet. Quod enim perfectum & conſummatum eſt, moveri amplius neceſſe non eſt: quia illud, quod per motum acquiri ſolet, acquiſivit, nempe perfectionem ſuam: quâ poſitâ ilicò ceſſat *motus*. Sic cùm calor in aqua perfectus & abſolutus eſt, quis

tam bardus & fatuus eſſet, qui caleſcere eam diceret? quamdiu autem res adhuc potentiæ alicujus particeps eſt, hoc eſt, quando cœpit aliquid fieri, nondúmq; perfectè eſt id, quod eſſe debet, ſed tendit adhuc ad ulteriorem actum, quem reſpectu termini ad quem non habet, acquirere tamen poteſt: tamdiu etiam *moveri* dicitur: cùm enim *mobile* dicatur, quod poteſt *moveri*, *motus* eſt impletio & perfectio illius poteſtatis, ob quam res talis, id eſt mobilis appellatur *Sennert. l. 1. c. 8.*

43. Exinde liquidò apparet, *motum* néq; *actum purum*, néq; *puram potentiam*, ſed *intermedium* eſſe inter potentiam & actum *Ariſt. l. 3. phyſ. t. 15. & 16.* ideóq; in definitione non dicitur *actus ſimpliciter*, ſed *actus conjunctus cum potentia e. g.* alteratio, quâ incaleſcit aqua, eſt actus ejus, non tamen ſimpliciter purus actus, ſed imperfectus: quia oportet plus adhuc in caleſcat, donec perfectam adipiſcatur caliditatem: néq; eſt calefactio illa pura potentia, quia revera cœpit jam per *motum* calefactionis inchoatæ incaleſcere, & aliquid de actu caloris poſſidere.

44. Inveniuntúrq; in omni motu hæc tria, 1. *aliquid formæ ſive actus*, quod jam motu acquiſitum eſt: 2. *poteſtas* perfectius illam formam, ſeu plus quid recipiendi, & 3. *fluxus* ſeu progreſſus ad illam formam. *Perer. l. 13. c. 4.*

45. Nec mirum videri debet, quod *movetur*, partim eſſe *actu*, partim *potentiâ*: poteſt enim hoc contingere tribus modis, primò *ut ſimul ſit actu & potentia* reſpectu diverſorum: ut aqua frigida eſt actu & potentia calida: *tùm reſpectu ejuſdem*, ſed diverſis temporibus: ut aqua, quæ nunc eſt potentia calida, paulò poſt, ſi fuerit admota igni, evadet actu calida: poſtremò, *ut idem reſpectu ejuſdem & ſimul ſit actu & potentia, ſed non eodem modo*: verùm eſt actu imperfectum, & potentiâ tendens ad perfectionem: ut aqua quæ calefit, actu & potentia calida eſt, actu calida reſpectu caloris imperfecti, quem jam habet, potentia calida reſpectum caloris perfecti quem nondum habet: & hâc ratione omne quod *movetur*, dicitur ſimul eſſe actu & potentia *Ariſt. l 3. phyſ. c. 2. t. 8.*

46. Deníq; adduntur in definitione hæc verba ἧ τοιῦτον, *quatenus in potentia*: quod vocabulum ὀυκ ἀνωφελῶς *ab Ariſt.* adjectum eſt. Cùm enim res aliæ ſint actu, aliæ potentia, *Coll. conimb. l. 3. phyſ. c. 1. Ariſt. 3. phyſ. c. 1. t. 3. moventur* illæ, quatenus ſunt poteſtate, non quatenus actu. Quamdiu enim res δύναμιν ad actum habet perfectum adhuc ſuſcipiendum, tam diu *motus* eſt actus ejus, ſive confert ei aliquid inchoatum de forma. Siquidem dum *motus* rei: quæ *movetur* ineſt, ſemper aliquid de

eſt com-

eſt comparandum: ſed quando non amplius eſt in potentia, ubi ſcilicet res perfectam formam conſecuta eſt, non amplius *motus* eſt ἐντελέχεια ejus, ſed deſinit ac prorſus ceſſat, & actus ejus eſt formæ perfectio: ſicut aquæ calefactæ actus non eſt calefactio, ſed ipſamet caloris perfecti ἐντελέχεια.

47. Ex hujus definitionis ἐξηγήσει nunc facilè colligere licet, in quo *motus formaliter* & ſecundum propriam rationem conſiſtat, nimirum in *progreßione, via & tendentia* ut loquuntur *ad formam* & ἐντελέχειαν: non v eſt habere formam. Hoc enim fluxu ſublato, tollitur ipſe *motus*: ut, v.g ſi aqua, quæ calefit, removetur ab igne, quia non habet illum fluxum & tendentiã ad ampliorem calorẽ, non dicitur moveri vel calefieri.

48. Quam noſtram ſententiam carpit tanquam minus vero conſonam *Averr. l. 5. phyſ. comm. 9.* & qui cum eo ſentiunt, *Mag. Albert, Simpl.* & alij, qui motum *formaliter* nihil aliud eſſe aſſerunt, quàm *ipſam formam per ſe.* Sed horum opiniones jure improbantur.

49. Noſtræ aſſertionis rationem brevibus expeditam ſic damus quia *forma per ſe non eſt mutatio,* ſed actus primus, per quem res habet eſſe, & jam reipsâ eſt & permanet, ut videre eſt ex *Ariſt. 3 phyſ. c. 1. & 2. Met. c. 2.* átq; adeò nec motus, qui eſt *ens non διαμένον ſed fluxum Scal. exerc. 18. reiq; imperfectæ tendentis ad ulteriorem perfectionis gradum.* Vocatur autem *motus* ἐντελέχεια, non quod *per eſſentiam* ſit entelechia, ſed quia *terminatur ad entelechiam,* nempe formam *Scheibl. diſp. pſychol. 1. t. 8.* perinde *ut 2. phyſ. t. 14.* generatio dicitur natura, quia terminatur ſeu via eſt ad naturam: & puer appellari poteſt beatus, non quia nunc ſit, ſed propter expectationem, apud *Ariſt. l. 1. Eth. c. 9.*

50. Exploratâ itaq; *definitione Motus,* ejúsq; qualicũq; reſolutione, ſequitur in felici methodo, ut ad quæſtionem ὅτι ἐστι *Qualis ſit* nos accingamus: cùm juxta *Ariſt. 2. poſt. anal. c. 9. t. 8.* οὐδὲ πρότερόν γε τὸ διότι δυνατὸν γνωρίσαι τοῦ ὅτι, *nunquam cognoſcere poßimus, quamobrem res ſit, antequam, qualis ſit, innoteſcat.* In hac autem conſiderandæ nobis ad manus veniunt *affectiones & qualitates* ex ejuſdem definitione fluentes, quarum *potißimas* tantum, & præcipuas recenſere, *brevitati ut conſulamus,* fert animus.

51. Cæterùm quinq; ſunt, quæ ad omnem *motum* phyſicum requiruntur, & quibus abſolvitur, teſte *Ariſt. l. 5. c. 1. t. 3. Gocl. diſp. phyſ. 8. Sennert. l. 1. c. 8. phyſ. Velcur. comment. phyſ. l. 1 c. 30. 1.* eſt *Movens,* quod cauſa efficiens eſt, adeóq; motor ciens quemlibet *motum* & mutationem afferens ipſi *Mobili,* quod 2. requiritur, & eſt *ipſum ſubjectum* cir-

 ca quod

ca quod exercetur & verſatur movens, ut generans, corrumpens circa generabile, corruptibile &c.

52. Hinc *Ariſt. in fronte l. 7.* tale habet theorema, *ἅπαν τὸ κινούμενον ἀνάγκη ὑπὸ τινὸς κινεῖσθαι, omne quod movetur*, motione ſc. phyſicâ, *ab alio moveatur neceſſe eſt*, quod verum eſſe apparet in omnibus, quæ principium *motus* habent vel extrinſecum vel intrinſecum: & per inductionem probari luculenter poſſet in omnibus *motus* ſpeciebus: niſi jam primis παρ᾽ ἐλπίδα θέσεων ἐργασία accreviſſet. Vide *Ariſt. loco cit.*

53. Quandoquidem fieri nequit, ut idem reſpectu ejuſdem formæ ſimul in actu & potentia exiſtat: v. g. ut ſit actu calidum & potentiâ caldum, alioqui ſimul eſſet & non eſſet calidum; ſed id quod movet, ſeu formã aliquam introducit, habet eam actu: nulla enim res educit aliam de potentia ad actum, quo ipſa caret: quod movetur, ſaltem habet potentiam recipiendi formam, non igitur eſſe idem poteſt, quod movet & movetur.

54. Eſt autem duplex *movens, non naturale*, quod motiones excitando modo non naturali, virtute tamen & potentia, à mobili nihil viciſſim patitur; ſic Sol agit in hæc inferiora, ſed nihil patitur ab illis: *Naturale*, quod mobili motum introducendo ab eodem rurſus afficitur; ſic ſerra dum ſecat lignũ, retuſionem patitur: hebetatur námq; ejus acies.

55. Non perinde *patiens* iſtam admittit diviſionem quam agens: quæcúnq; enim patiuntur, paſſioníve obnoxia ſunt, naturalia ſunt tantùm, eò quod paſſio nunquã fieri queat, niſi in *materiatis rebus*: ex qua cùm ſolæ *res naturales* conſtent, rectè hæ tantùm paſſiones ſuſtinere dicuntur. Res verò *non naturales* ſive divinæ cùm materiâ careant, pati etiam propriè non dicuntur: omnia enim agentia, quæ cùm materia, quæ *principium paßivum eſt Zab. fol. 210.* non copulata ſunt, *in agendo nihil patiuntur Ariſt. 1. de gener. & corrupt. c. 1. 54. & 2 phyſ. c. 9. t. 4.*

56. Hîc oritur *fundamentum reactionis*, quod ſcilicet agens in agendo viciſſim aliquid patiatur, nempe in rebus ſublunaribus, ubi dantur agentia naturalia & propinqua. Cur autem hæc abſq; mutua perpeſſione non agant, cauſa hæc eſt, quoniam inter hæc eſt contactus vetus, & quia ex materia & forma ſunt compoſita, & partim actu ſunt prædita partim poteſtate *Ariſt. 3. phyſ. t. 8.*

57. Cùm enim omnes res naturales actus & potentiæ ſint participes, *actus* quia ſunt aliquid: ut aqua actu eſt frigida, *potentiæ*, quia poſſunt fieri aliud, ſicut aqua frigida potentia eſt calida, ſciendum eſt eas

ratione

ratione actus agere, eúmq; actum alijs etiam cõmunicare: ut aqua actu frigida, actu frigiditatis ſuæ agendo in calidam transferre in ipſam conatur frigiditatem, *ratione v. potentiæ* pati, & patiendo aliquid in ſe recipere *3.phyſ.t.15.* ut aqua frigida, quia recipere poteſt caliditatem ſecundùm eam potentiam calefit viciſſim à calida aqua cui commiſcetur, atq; iſta repaſſio agentium, ſive reactio patientium peculiaris ac propria eſt *rerum naturalium motui Zab. l. de react. c. 6.*

58. Ut autem reactio iſta in rebus naturalibus efficiatur, hæ *6. cõditiones* neceſſariò requiruntur: 1. *ut ſit agens corporeũ.* Sic intelligentiæ movent cœlum, & non moventur ab ipſo, quia ſunt incorporeæ 2. *agens cum patiente cõmunicet in materia* (habente videlice formã & qualitates agenti contrarias, ut notat *Scal. exerc. 9. & 6. ſ. 1.*) propter quod cœlum non repatitur, quando agit in hæc inferiora & noſtratia. 3. *ut agens agat actione phyſica & reali, non autem intentionali & ſpiritali:* nam color movet viſum, & tamen non movetur ab ipſo: ſimiliter objecta ſenſibilia movent ſenſum, ſpiritaliter in ipſum agendo, à quo nihil patiuntur. 4. *ut ſit potiſſimum in motu locali & motu alterationis*: nam non neceſſe eſt quod generat, viciſſim generari ab eo, quod generatur. In prævia quidem alteratione fiunt actiones, in ipſa autem formæ introductione ne imaginari quidẽ poſſumus. 5. *ut patiens non ſit nimis debile,* ſed habeat tantã vim, ut poſſit aliquantulũ agere in id, à quo patitur: unde ſi calor ſummus admoveatur pertenui frigori, patietur quidem, ſed non reaget. 6. *ut agentium & patientium legitima fiat applicatio.* Sic qui ſub tecto verſatur, minus ſentit caloris æſtum, quàm qui in aprico loco conſiſtit. Similiter pharmaca purgantia intrò ſumta valentius purgant, quàm extrinſecùs impoſita quia propius & intimius tangunt corpus. Medicamenta etiam citius agunt in ventriculum, quem ſtatim contingunt, quàm in pulmones, ad quos longis ambagibus multò tardius perveniunt, & interim multùm de virtute ſua amittunt.

59. 3. Requiritur *Terminus à quo,* unde mobile incipit moveri; & hic in *motu* abijcitur, ut in calefactione aquæ terminus à quo eſt frigiditas aquæ, in ſanatione morbus.

60. 4. *Terminus ad quem,* quo mobile perficitur, eſtq; forma ſubſtantialis vel accidentalis *Gocl. diſp. phyſ. 8.* ad quem, ut τέλος ἐπιγινόμενον (ut loquitur *Ariſt. Eth. l. 10. c. 4.*) tendit *motus*, ut in prioribus exemplis termini ad quos ſunt caliditas aquæ, ſanitas. Exemplum utriúsq; hoc ſit. In generatione pulli fit progreſſus ab ovo, quod nondum eſt pullus, tanquam à termino à quo ad pullum tanquam terminum *ad quem.*

61. Hunc

61. Hunc autem dictum *motum* requirere terminos, affirmat & confirmat *Ariſt. 6. phyſ. t. 9. & lib. 1. de cœlo t. 86.* ſatis luculenter, in omni *motu* ineſſe debere terminos aliquos Deinde hoc ἔυδηλον & perſpicuum fit inductione factâ per omnes *motus* ſpecies. Nam in *generatione & corruptione* termini ſunt ens & non ens, in *accretione & decretione* magnum & paruum, in *alteratione* qualitates contrariæ, in *motu locali* differentiæ poſituum contrariæ, ſicut ſatis prolixè hac de re philoſophatur *B. Pererius l. 13. c. 19. q. 1. p. 474.*

62. Et hiſce duobus terminis nec plures nec pauciores dari, docet idem *5. phyſ. t. 7.* omnem *motum* egere duobus terminis, uno à quo, ἀφ᾽ ἑνὸς, altero ad quem πρὸς ἕν, probans ſic omnem motum neceſſariò à quodam incipere, & in quoddam deſinere, nec enim natura in infinitum progreditur: & ut initium habet, ſic & finem tandem quærit, quem, niſi inveniret, fruſtrà ageret: at *Deus & natura nihil faciunt fruſtra*, ut habet πολυθρύλλητον *Ariſt. 1. de cœlo c. 4. t. 32. l. 3. de anim. c. 12. t. 60.*

63. Præterea hoc indicat definitio *Motus*, quâ mobile *moveri* dicitur *à potentia ad actum*, quod eſt à termino *à quo* ad terminum *ad quem*, qui ſimpliciter non poteſt eſſe niſi unus, totalis & ultimus: quia ſi unitas, diſtinctio & denominatio motus ſumitur a termino *ad quem 5. phyſ.* non poterit hic eſſe multiplex; ſi motus eſt unus, ſed terminus *ad quem* eſt cauſa *motus* tanquam finis, cujus gratiâ mobile movetur, quem ſi haberet ad eum amplius non moveretur: finis ſiquidem omnis eſt immobilis, in eóq; res quieſcit. Unius ergo motus non poteſt eſſe niſi *unus* terminus *ad quem.*

64. Neuter v. horum terminorum eſt *motus*: ſunt enim actus perfecti *Ariſt 5. phyſ. c. 1. t. 3.* jam autem quod perfectum & conſummatum eſt, moveri amplius neceſſe non eſt, cùm habeat jam quod per *motum* quæri ſolet, nempe perfectionem ſuam vide *θ. 42.* ſed illud quod *medium eſt inter terminum utrúmq;, & ad formam ſive metam in itinere quodam quaſi intervallo cōtendit*, propriè *motus* dicitur Exemplo rem venabimur familiari. Quando *Tubingâ Argentinam* contendo, profectio quâ *Tubingâ Argentinam* continenter moveor, eſt *motus* & latio.

65. *5. Tempus.* Hinc Ariſtotelicum illud principiū & fundamentū, *Omnis motus fit ſucceſſivè & in tempore: nihil verò momento movetur 6. phyſ. c 3* quod momentum Græci τὸ νῦν. *Keck. diaſtem. phyſ. l. 1. c 9. impetum, Germani* ſtuß vocant: ſed ſemper *mora* aliqua & duratio ad motum requiritur unde fit, ut qui manum per flammam movet celerrimè, nihil lædatur: quia

tur: quia

tur: quia cùm mora nulla manifeſta intercedat, ignis in manum agere nihil ferè poteſt, néq; vires ſuas imprimere: ita qui ſementem fecit, non uno ſtatim die ac menſe poteſt immittere falcem & demetere frumenta: unde proverbium natum eſt, *tempus producit fruges, non ager ſolus.*

66. Ne autem nos ſimus *ſicut arbor ſine folijs, ales ſine pennis, lepus ſine pedibus Scal. exerc. 19.* & ſolâ auctoritate niti videamur, ſequentibus ratiocinijs corroborabimus & ſtabiliemus ſententiam. Quia 1. ſi Motus eſſet quid permanens, non eſſet motus. D D. Conimbr. *q. 2. l. 3. c. 2.* nihil enim quod manet, movetur: nihil quod movetur manet: nam quod manet, quieſcit: quid autem eſt rem manere, niſi eam ſimiliter ſe habere nunc ut prius? *Ariſt. 6. phyſ. t. 78.* 2. conſtat ex ipſa *motus definitione*, ſiquidem ſuceſſio motus in eo conſiſtit, quòd forma non integra ſimul acquiratur, ſed per partes, ſeu ut Latini vocant, gradus, quorum unus poſt alium ſucceſſivè acquiritur per *motum.* Hinc *Averr. comm. 4. l. 3. phyſ. ait, motum nihil aliud eſſe, quàm generationem unius partis poſt aliam partem ejus formæ, ad quam tendit motus, donec perficiatur & fiat in actu.*

67. Et hoc ſignificant verba definitionis, *Actus entis in potentia*: nam neceſſe eſt id, quod movetur, dum movetur, partim eſſe actu, partim potentiâ: & proinde motus erit ſucceſſivus, ſimúlq; continuus. Si enim ſimul fieret in inſtanti, totus eſſet actu *Perer. l. 14. c. 6. de diviſ. Motus*, neć jam amplius res dicetur moveri, ſed jam mota eſſe.

69. 3. Sic arguimus Quicquid velocius aut tardius fit, illud eſt in tempore: at omnis motus eſt velocior & tardior Ergo motus eſt in tempore *Major* ex *definitione* patet velocitatis & tarditatis, quæ tempore definiuntur: illud enim velox eſſe dicimus, quod in exiguo tempore multum ſpatij tranſit & abſolvit, tardum contrà. *Minor* probatur ex *Ariſt. c. 14. l. 4. t. 129. & c. 10. t. 96.* dicente, *φανερὸν ὅτι ἅπασαν μεταβολὴν καὶ ἅπαν τὸ κινούμενον ἀνάγκη κινεῖσθαι ἐν χρόνῳ*: declarari etiam poteſt explicatione *motus* velocioris: ſiquidẽ is velocior eſt motus, quo prius & citius ad eundem terminum pervenitur quàm alio, ſi tamen idem ſit intervallum & ſpatium, eadémq; motus æquabilitas *Ariſt. ibid.* Quare cùm prius & poſterius deſignent tempus, quippe definitur ab *Ariſt. 4. phyſ. c. 11. t. 101. Menſura motus ſecundum prius & poſterius*, ſequitur motum eſſe in tempore.

69. Eſt præterea ad omnem *motũ phyſicum* neceſſariũ, ut movens ſimul ſit cum mobili, juxta effatum philoſohi *2. phyſ. c. 2. τὸ κινοῦν ἅμα ἐστι τῷ κινουμένῳ* id *quod movet*, primò intellige, ſive immediatè & abſq; interventu alterius medij, eam rem quam movet, tangere, eiq; proximum eſſe debere,

bere Nam ἅμα & ἅπτεσθαι ſunt ἀντίστροφα *Gocl.diſp.phyſ.q.49.* Idq́; manifeſtè apparet, ſi omnes motuum differentias quis percurrat & conſideret. Sic quod calefit, ab eo, quod calefacit, tangitur: in guſtu, niſi res ſapida organo guſtatus admoveatur, non guſtatur: ſpecies rei viſæ viſum attingunt. Rem etiam quæ augere debet corpus, oportet certè cum corpore conjungi. vid *Ariſt* tùm in .*7. tùm 8. lib.* prolixè tractantem.

70. Proinde concludimus, in quolibet motu contactum eſſe agentis cum patiente aut *corporalem*, qui καθ' ἐξοχὴν noſtratibus, quæ agendo patiuntur, competit *Ariſt. 3. phyſ. c. 1. t. 9. Zab. de react c. 1. Suaretz comm. 1. diſp. 18. t. 9.* aut *virtuali*, qui potius contactus ἀκύρως & impropriè nuncupatur *Mag. 3. phyſ. c. 9. θ. 6.* & ſivè mediatè is fiat ſive immediatè.

71. Cæterùm antequā hinc abeamus, placidæ συμφιλολογίας ἕνεκα proponere libet illud crebris philoſophorum uſurpatum tritúmq; problema, *quomodo videlicet lapis à manu movētis projectus longiſsimè abſq; externo motore in aëre moveatur*: in quo certè motu movens non conjunctum videtur cum re mota, quod tanquā neceſſarium proxima regula aſtruebat.

72. Etſi hîc negare non poſſumus, lapidem projectum dum fertur per aërem, non amplius *à jaciente moveri*: non tamen ſequitur inde eum abſq; *ullo prorſus agentis contactu* moveri: movetur enim poſtea ab aëre proximo, qui lapidi cōtiguus ſemper eſt, quam diu deinceps in ſublime movetur. Quo autem pacto ab aëre moveatur, quàm ſit enodatu difficile, tanta opinionum inter ſe diſcrepantium varietas, quanta in hujus quæſtionis explicatione apud philoſophos reperimus, non obſcurè declarat, præſertim ſi ad τὰ καθέκαστα ſit deſcendendum. Hîc longæ *Ambages, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.*

73. Et primò quidem ſunt nonnulli optimæ notæ philoſophi, qui acumen ſuum in philoſophando oſtendentes ſtatuebant, cùm lapis proijcitur, vi illâ & impulſu projectionis *imprimi ei à proijciente vim quandam motivam occultam & inſenſilem*, cujus beneficio ulterius lapis vehatur, quamvis à motore ſeparatus, & hanc tantam eſſe, quanta fuerit vis, contentio & impulſus proijcientis, cùm primùm lapidem projecit, eiq́; virtutem hanc impreſſit.

47. Huic etiam ſententiæ ſubſcribit *Cardanus*, qui à nullo mortalium præterquam à ſe hanc de motu projectorum cauſam intellectam gloriatur: quem refutat ſubtiliſſimus ille ſubtilitatum Magiſter *Scal. exerc. 28.* ubi, inquit, *vis movens quomodo exeat ex anima mea, ut in lapide inſidens agat? Neutiquam calor ille, qui eſt animæ inſtrumentum, generat in lapide calorem, a quo tamdiu moveatur, quamdiu in eo viget.*

75. Nos quamvis ab illis magni nominis viris multis paraſangis longiſſimè diſtemus, cùm tamen ſapientis ſit hominis *placitis anteponere rationem: & omne jus philoſophandi in rationibus poſitum ſit Taurell. præf. in Cæſalp. p. 38.* contrariam ſententiam amplectimur, moti rationibus prægnatioribus gravioribúsq;: quæ quidem non ex noſtro cerebello, ſed ex illorum officina prodierunt, penes quos aliud nihil invenias quàm *conſtantiæ incudem, malleum diligentiæ, ignem veritatis Scal de plant. p. 71.* philoſophos puto cordatiores, *Ariſt. 4. phyſ. t. 68. 8. phyſ. 82. l. 2. de cælo t. 35. lib. 3. de cælo t. 28. in libello de inſomn. c. 2. in lib. de divinat. per ſomn. c. 2. & in problem. ſ. 11. probl. 6. & in quæſt. Mechan. q. 33. ſimpl. 8. phyſ. ſuper tex. 82. Themiſt. in ſua paraphr. c. 9. in libell. de inſomn. Averr. in digreſſ. de motu project. D. Thom. l. 3 de cæl. ad t. 28. Zab. l. 1. de motu grav. & lev. c. 16. Perer. l. 14. c. 5. de variet. & diviſ. Motus Burl. 8. phyſ. ad t. 70. &c.* qui omnes hujus quæſiti veram & propriam cauſam referunt *ad aërem, tanquam medium in quo ſit motus.*

76. Quando enim primum movens v. g. manus vel funda, projjcit lapidem, pellitur primùm à lapide prima aëris pars lapidi proxima, & hæc pellit aliam partem ſecundam, hæc ſecunda aëris pars viciſſim tertiam commovet, vim movendi illi impertiendo, & hæc tertia quartam rurſum propellit, & ſic deinceps continenti ſerie, eò uſq; donec impetus hic violentus ſpatio ipſo & longinquitate loci demum langueſcat, & pulſus decidente lapide omninò ceſſet moveríq; deſinat.

77. Eſt autem aër elementum leve, facilimè mobile & agitabile in ſuo loco: idcircò eà vi percuſſus magis movetur, quàm lapis, & præcurrit iſti lapidi: poſtquam igitur à proijciente dimiſſus eſt lapis, fertur ab his aëris partibus motis, quæ ſunt illi tanquam vehiculum.

78. Fitq; motus hic lapidis tardior ſemper, & in fine tardiſſimus, propterea quòd lapis projectus movet primam aëris partem, & eidem imprimit vim motricem, debiliorem tamen, quàm habeat ipſe: & proinde prima aëris pars movet quidem ſecundam, & dat etiam vim illi pellendi tertiam, ſed adhuc debiliorem quàm ipſa habeat: ſecunda movet tertiam, itidem vim illi tribuendo, adhuc tamen debiliorem movendi quartam ſequentem, adeò ut propter continuam facultatis motricis imminutionem tandem deveniatur ad aliquam aëris partem, quæ ita debiliter moveat aliam proximam, ut nullam ei impertiatur vim movendi aliquam aliam partem.

79. Cùm itaq; poſteriores aëris partes moveantur tardius, quàm priores, eò quòd à primo illo externo motus principio remotiores ſunt,

atq; ita propter diſtantiam tantam vim non recipiunt quantam propinquiores: neceſſariò etiam in his ita motis aëris partibus lapis tardius movetur in fine quàm in principio. Atq; hæc ſecundum *Ariſt. & Peripateticos* cauſa propria eſt motus projectorũ: itémq; *cur motus violent⁹ tardior ſit in fine quàm in principio*; licet multis dubia videatur: ſed de eo in præſentia diſputandum non eſt, ſiquidem plenior tractatio noſtræ nunc non eſt ſpeculationis, ne telam primâ experimentatione juſto longiorem texamus.

80. Pergimus ad *Diviſionem*, quæ etiam pertinet ad quæſtionem ὅτι ἐστι: cujus tanta eſt præſtantia, ut *Socrates* ille vel *Delphici oraculi* teſtimonio, vel intelligentiſſimorum ſui temporis hominum conſentiente judicio ἀνδρῶν ἁπάντων σοφώτατος judicatus, λόγον βασιλικὸν inſigniverit: adeóq; *ſi nactus fuerit Ducem, qui rectè partiri ſciat, ipſius tanquam Dei veſtigia ſecuturum ſe dixerit*: unde etiam tritum illud: *Qui bene diſtinguit, bene docere creditur.*

81. Verùm enim verò poſſent hîc plures pro ratione & amplitudine materiæ diviſionum ſpecies enarrari, ſed nos vulgatiſſimas tantùm & potiſſimas brevitatis ſtudio cum clariſſ. *D. Magir. phyſiol. c. 4. l. 1.* perſequemur. Sit ergo *diviſio prima.*

82. Motus *alius eſt per ſe ſeu proprius*: ut cùm corpus mobile ad formam novam ſubſtantiæ vel accidentis, vel locum movetur & progreditur: ut ſi dico, liquefactile liqueſcit, fuſile funditur &c. *Alius per accidens*, quando mobile movetur non quidẽ ſuo, neq; proprio, ſed alieno motu. Quod *quadrifariã* contingit 1. *quando forma accidentaria cum ſubjecto corpore moto ſimul movetur*: ut moto homine ſimul cùm eo moventur albedo, ſtatura, complexio, habitus, quia hæc nuſquam niſi in corpore ſunt, quo moto, neceſſe eſt iſta ſimul quodammodo moveri, juxta illud: *motis nobis moventur omnia, quæcunq; in nobis ſunt, accidentia* 2. *Per accidens* etiam moveri dicitur *pars in toto*: quando ſc. pars movetur ad motũ ſui totius: ut caput, manus, pedes, moventur corpore cadente: folia & rami cum arboribus 3. *contentum in continente*, ut motâ navi per accidens etiam moventur homines in ea. 4. *Deniq; quicquid ad motum alterius movetur*, ut ſtellæ moventur motu accidentario ſuorum orbium, quibus ſunt affixæ.

83. Uſus hujus diviſionis valet ad hoc, ut *proprium* cujusq; rei motæ motum ac progreſſum inquiramus & ſecernamus ab *accidentario.*

84. *Secunda diviſio. Motus eſt naturalis, animalis ac violentus*: quæ ſumta eſt ex principijs ipſius motus efficientibus, naturâ, animâ & principio externo. *Naturalis eſt*, qui fit ab interno principio, nempe natura inclinate

inclinante & res aptas mobiles faciente ad eundem *Ariſt. 4. phyſ. c. 8. t. 67.* Hic *uniformis* eſſe ſolet, cùm naturalia uno eodémq; modo agant, ut docet *Dn. Philippus* Vir in judicando minimè lippus *lib. 4 Dial. p 243.* & ad unum aliquem certũ & principalem finem in cujusvis rei motione vergant. Sic gravia ſemper deorſum, levia ſurſum feruntur: granum avenæ non niſi avenam producit. Ventriculus ſentiens defectum nutrimenti eſurit & appetit: repleto cibo concoquit eum.

85. Eſt inſuper *in principio* remiſſior & debilior, ſubinde v. & *in fine* velocior, fortiorq; eſſe conſuevit: cujus motus cauſa vera eſt imminutio reſiſtentiæ medij, imminutæ autẽ reſiſtentiæ motus antecedens, qui auget præcedentis motus velocitatem: hinc enim fit, ut continuè creſcat velocitas motus, & in fine fiat major, quoniam initio debilis ac tardus ſit motus, quem alius non præceſſit, in fine autem velocior, quia alius eum præceſſit motus.

86. In hac autem acquieſcere non poſſumus, niſi hujus quoq; cauſæ cauſam cognoſcamus: Scire namq; oportet, cur præcedens motus ſit cauſa majoris velocitatis motus ſequẽtis: ſic enim proximam rei cauſam cognoſcemus: quâ cognitâ omne hac in re dubium tolletur.

87. Certum eſt ac per experientiam comprobatum, omne mobile *velociter* & facilè moveri per medium, quod ad eandem partem fertur, *minus velociter* per medium quieſcens, *tardè* per medium quod mobili reſiſtit, & ad contrariam partem tendit: cujus rei navigatio documentum exhibet: navis enim velociſſimè fertur per flumen ſecundo fluxu, tardius per aquam quieſcentem, ſed tardiſſimè adverſus fluxũ amnis.

88. Applicemus hæc, *ſine applicatione enim utilia futilia, ſplendida rancida, ſacra macra evadunt.* & ſtatuamus, corpus aliquod grave in aëre deſcendere, reſiſtit illi initio aër quieſcens: cujus tamen reſiſtentiam illud vincit, & proximam aëris partem deorſum pellit. Hæc prima aëris pars impulſa pellit ſecundam vicinam ſibi aëris partẽ: ad quam ubi corpus devenerit, eamq; ſibi in motu non reſiſtentem, ſed obſecundantem, & in eandem partem motam invenerit, velocius moveri incipit: velocius ita motum corpus tertiam aëris partem vehementer propulſabit, quæ etiam antè à ſecunda aëris parte commota velocius movebitur quàm ſecunda, & fortiùs quartam deorſum pellit, & ſic conſequenter: ad quam ubi pervenerit, in eo ob minorem reſiſtentiam & motus ſimilitudinem etiam velocius movebitur. Hæc ſufficiant.

89. *Animalis motus* eſt, qui fit ab ipſa anima in corpore animan-

tis,utpote operatio vel actus ſecundus. Hic *non uniformis*, ſed varius & diſſimilis eſſe ſolet, fertur enim juxta corporis ſitûs & differentias, *Mag. l. 15. 4. t. 39.* quemamodum aves modò ſurſum, modò deorſum, modò per tranſverſum volant in aëre, piſces hinc inde natant in aqua, & homo pro libito ambulat, cantat, ſaltat, edit, bibit, ſcribit.

90. Eſtq; in *initio & fine* tardior & remiſſior, *in medio* autem fortior & concitatior: quia membra, quæ ſunt organa motus, in *principio* nondum benè diſpoſita ſunt ad motum, nec dum ſatis excitata á calore & ſpiritu: *in fine* etiam ſunt defatigata ex defectu caloris, & laſſitudine ſpirituum virtutiſq; motricis; ſed *in medio* quaſi curſu ſucceſſivè acquirunt agilitatem majorem. Quod ipſum experientia teſtatum facit *in puerorum actionibus*, qui tardè inchoant aliquid & ineptè: poſtea fervet ſtudium & delectatio luſus: ſed mox defatigati ad aliud quid transeunt.

91. *Violentus motus* eſt, qui ortus à principio externo non confert naturalem propenſionem mobili, ſed vi perficitur: ut cùm quis proijcit lapidem ſurſum: cùm ſagittarius ejaculatur ſagittam *Ariſt. 4. phyſ. c. 8. t. 62. Hic initio* eſt velocior & vehementior, *in medio* debilior, & *in fine* languidior prorſus: ut lapis ſurſum projectus primùm magnâ proijcientis vi commovetur; ſed quia mobile reſiſtit motui, tùm propter hanc ipſam mobilis reſiſtentiam, non habentem ſcilicet naturalem propenſionem ad ejuſmodi motum ſuſcipiendum, tùm propter reſiſtentiam medij, aëris ſc. in quo fit *motus*, ideò impetus ille violentus, paulatim debilitatur & imminuitur *V. ſuprà.*

92. Hujus autem violenti *motus* à ſumo in Philoſophia dictatore *l. 7. phyſ. c. 2. t. 10. 4. recenſentur ſpecies. 1. pulſio* ὦσις cùm movens à ſe diſpellit mobile, quales ſunt percuſſio, jaculatio, vulneratio, protruſio, cùm ruſticus currum protrudit. *Ariſt. ibid.* Sic doctiſſimi Medici arbitrantur purgationes humorum fieri per ὦσιν quandam. *2. Tractio.* ἕλξις cùm movens ad ſe trahit mobile: ut cum navis funibus, vel equis ad littus trahitur. Ad hanc ſpeciem referuntur etiam Attractio, Retractio, Contractio, Diſtractio, &c. *3. Vectio* ὄχησις, cùm mobile movetur non per ſe, ſed per aliud: ſic homo inſidens in curru, equo, navi, vehitur ad motum currus, equi vel navis. *4. eſt Vertigo* δίνησις ſeu volutio, cùm mobile in gyrum vertitur, ut in rotatione curruum & lapide molari perſpicere licet. Sic caro, quæ aſſatur in verubus, movetur motu vertiginis: Et hic non eſt ſimplex motus, ſed compoſitus

ex pulſione

ex pulſione & tractione: poſteriores enim partes quaſi attrahuntur à prioribus, & priores impelluntur à poſterioribus.

93. *Tertia & ultima diviſio*, quâ *motus* dividitur in ſuas velut ſpecies, quarum communiter & populariter loquendo *ſex* numerantur, *Generatio & corruptio* ad prædicamentum ſubſtantiæ, *Augumentatio & Diminutio* ad prædicamentum Quantitatis, *Alteratio* ad prædicamentum Qualitatis ſolùm in tertia ſpecie, quæ vocatur qualitas ſenſibilis, hoc eſt, quæ exteriore tantùm ſenſu percipitur, ut color viſu, ſonus auditu, ſapor guſtu, odor olfactu, qualitas prima & ſecunda ſenſibilis tactu *Ariſt. 7. in fronte phyſ.* Ad Vbi *Motus ad locum*, ſeu loci mutatio, quam Græci φορὰν lationem appellant.

94. Phyſici v. tantum *quatuor* propriè *motus ſpecies* nominant, cenſentes, *Generationem & corruptionem* non eſſe *motus* propriè dictos, ſed potiùs *mutationes*, uti etiam ſenſit *Ariſt. l. 5. phyſ. c. 4.* cùm non habeant vera & propria requiſita ad *motum*, rationes, obſtante jam pagellarum anguſtiâ, in ipſo diſputationis conflictu in aciem producemus, ne diutius quàm par eſt, hîc hæſitemus.

95. Pertractatâ igitur ſic tenui filo quæſtione ὅτι ἐστι, ad quæſtionem διότι ἐστι nos provehit inſtituti ratio, obſervantes divini noſtri præceptoris monitum *l. 2. poſt Anal. c. 9. t. 8.* ὅταν εἰδῶμεν τὸ ὅτι ζητοῦμεν τὸ διότι, poſtquam intelleximus *Qualis res ſit, ſequitur, ut Quamobrem ſit, inveſtigemus.*

96. Quanta autem ſit *utilitas*, quam parit cognitio *Motus*, *dignitas* quanta, quanta *neceſſitas*, hinc, ut tribus expediam verbis, perſpicuum eſſe poterit: quia Motus rebus noturalibus omnibus cõmuniter ineſt ut vita quædam. Sicut enim docente *Platone lib. 10. de leg.* ea vivunt, quæ motionis principium intra ſe continent: ita quæ motum utcunq; ſubeunt, vitam participant.

97. Deinde natura, in qua tota explicanda phyſicus verſatur & occupatur, ignorato *motu* nequit cognoſci: cùm natura definiatur *principium motus 2. phyſ. c. 1. t. 3.* Poſtea ex motu progreſſa eſt philoſophia ad inveſtigationem ſupremæ cauſæ, id eſt, Dei *Scal. exerc. 305.* in quem, ut omnium rerum fontem & principium, motum omnem deſinere neceſſe eſt *Conimbr. in proœm. l. 3. phyſ.*

98. Adhæc pleraq; ac præcipua philoſophiæ naturalis fundamenta motu deprehenſa & cognita fuerunt. *Motu enim* reperta ſunt 4. cauſarum genera, quod indicat uniuscujusq; cauſæ definitio: *motu* locali inventa

venta ſunt 4. elementa: materiam primam eſſe, atq; ingenerabilem eſſe *motus* patefecit: quòd natura propter finem agat, *motus* rerum naturalium quæ ordine, ac ut plurimùm eodem fiunt modo, manifeſtè oſtendit, unde venuſtè oculatiſſimus *Scal.* ait, *exerc. 9. Motum penè omnis noſtræ cognitionis magiſtrum fuiſſe.*

99. *Motu* deniq; omnium rerum perfectio declaratur & acquiritur. Nam quæ non ſunt, per *motum* exiſtunt: quæ jam ſunt, perfectionem ſuam vel in *motu* habent, ut animata, vel per *motum* acquirunt, ut res inanimatæ, vel *motu* perfectionem ſuam alijs communicant, ut cœli & intelligentiæ; unde cœlum eſt omnia poteſtate efficiendi *Scal. exerc. 6. ſ. 2.* & quoniam movetur cælum, ideò moventur noſtratia *exerc 61. ſ. 3.*

100. Atq; hæc ſunt, quæ pro hoc tempore & loco συντόμως καὶ παχυλῶς non pro materiæ amplitudine absq; verborum phaleris publicæ συζητήσεως ἕνεκα *movere* operæ pretium nobis viſum fuit. Quod reliquum eſt, Deo grates referimus nullis ſeculis terminandas, quòd nobis hiſce horis aſſiſtentiâ ſuâ adeſſe dignatus fuerit: eundemq; rogamus ſupplices, ut rationem noſtram de die in diem è tenebris ignorantiæ eductam in apricum cæleſtis veritatis producat: donec tandem ipſum de facie ad faciem videntes, veritatem ſine falſitate, ſcientiam ſine inſcitia, & lucem ſine tenebris in æternùm contemplemur. Amen.

Ad præſtantiſſimum & Literatiſſimum Dominum Reſpondentem.

I.

QVos Helicona juvat laudato ſcandere niſu,
Hos diva Ingenij ſuada labóq; movet.
Scilicet iſta tibi mens eſt, hinc terminus à quo
Indolis eſt felix vis, geniusq; movens:
Terminus eſt ad quem Phœbei laurea honoris;
Quæ frontem ut cingat perge movere φύσιν.

M. Joannes Caſparus Mockel, Colonienſis, Jurium Studioſus.

II.

NOn eſt exiguum, ſtuduiſſe fideliter artes
Pfitzere *& fruges colligere inde ſibi.*
Præſertim ex Phyſicis, de motu, *Themata laudo:*
Perge! & Apollo *tibi munera plura dabit.*
Tandem ſic animum Medicinæ *adjunge ſalubri:*
Doctus *tunc fies ex Phyſico* Medicus.

Guilielmus Arthuſius Mœno-Francofurtanus Math. & Medic. Stud.

FINIS.